

mala quae somnambuli ab hypnotizante jussi fecerint, manifeste non sunt voluntaria in se, sed videndum num forte ipsis fuerint voluntaria in causa, dum se libere hypnotizanti tradiderint, cum horum malorum praevisione. Cfr. M. De Baets, *Des bases de la morale et du droit*, p. 272 seqq.

3º Iis qui *vino, opio, aethere, etc.*, organa ita perturbant ut, donec elementum perturbans evanuerit, rationis exercendae impotentes sint. Cfr. n. 187.

Difficilis determinatur quatenus voluntarium auferatur vel minuatur iis impedimentis quae tantum in actum transeuntem influunt. Quare singillatim de iis dicemus. Sunt autem voluntarii impedimenta: ignorantia qua tollitur vel minuitur cognitio intellectus; vis et metus, quibus impeditur inclinatio voluntatis; concupiscentia quae ambo ista voluntarii elementa minuere vel tollere nata est.

§ 1. DE IGNORANTIA.

16. DEFINITIO. Ignorantia est carentia scientiae quam quis natus est habere. Differt a nescientia quae importat simplicem scientiae negationem. Ita S. Th. De Malo q. 3. a. 7. Alii priorem dicunt ignorantiam privativam, posteriorem negativam.

Ab ignorantia quoque discernendus est *error*, qui in falso judicio de aliqua re consistit. Potest autem falsum hoc judicium oriri vel ex ignorantia vel e temeritate illius qui judicium fert non proportionatum moti vis quae revera mente intuetur. Quodsi illa ignorantia invincibilis est, error quoque involuntarius erit.

Ignorantia, stricte loquendo, denotat habitum et ita differt ab inadvertentia quae non est permanens. Attamen, in sensu lato, complectitur etiam transeuntem inconsiderationem, oblivionem, inadvertentiam eo ipso momento quo ponitur actus humanus.

17. DIVISIO.

1º **Ratione subjecti** ignorantia potest esse *invincibilis* et *vincibilis*.

Invincibilis ea est quae, adhibita morali diligentia, depelli non potuit. Quod dupli ratione contingere potest: a) Quando nulla mihi oritur cogitatio investigandi, vel oritur quidem, sed non ita ut existimem me teneri ad investigandum vel ad utendum tali medio, ex. gr. ephemeridis ad cognoscendum rei amissae proprietarium. — b) Quando dubitans adhibeo diligentiam moralem et negotio accommodatam, sed ignorantiam depellere nequeo, ex. gr. cum reperio pro utraque parte graves rationes et auctoritates.

CAPUT III. DE IIS QUAE VOLUNTARIUM TOLLUNT VEL MINUUNT. 27

Ut percipiatur quanta debeat esse haec moralis diligentia, juvat haec advertere cum Ball. P. (n. 64):

a) Non requiritur omnis diligentia possibilis. Inde nulla est obligatio ut in dubio, ex. gr. de valore alicujus voti, semper recurratur ad Congregationes Romanas. Saepe his importunis quaesitis respondit S. Paenitentiaria: "Consulat probatos auctores."

b) Haec diligentia proportionem habere debet cum rei gravitate. Ita multo majore cura investigandum erit num facienda sit restitutio mille quam duorum francorum.

c) Mensuranda est etiam e capacitate personae. Sic rudi satis est in dubiis ut consulat parochum; non erit idem semper satis ejusdem parochi vicario.

d) Mensuram hanc desumere licet e modo quo agunt viri prudentes. Sed oportet ut ii e quorum exemplis norma sumitur sint timorati, qui practice agnoscant Ecclesiam tamquam columnam et firmamentum veritatis. (1 Tim. III, 15) Multi enim hodie temere procedunt dum, quamlibet investigationem de Ecclesiae doctrina praetermittentes, in casibus moralibus etiam difficillimis, contendunt sufficere ut agat quisque secundum conscientiam suam.

Vincibilis dicitur illa ignorantia quae ope moralis diligentiae tolli potuit ideoque, saltem indirekte, est voluntaria.

Haec ulterius subdividitur in: a) *Affectatam*. Haec est directe intenta et praevisa in causa sua, ex. gr. si quis ideo omittit adire concionem vel interrogare confessarium suum ne doceatur officia sua. — b) *Crassam* seu *supinam*. Haec habetur in eo qui nullum vel vix ullum conatum facit ad ignorantiam deponendam. Duo haec vocabula eodem sensu adhiberi solent, quamvis aliqui AA. supinam graviorem habeant quam crassam. — c) *Simpliciter vincibilem*. Ita vocatur quando ad deponendam ignorantiam diligentia aliqua adhibetur, sed non sufficiens.

2º **Ratione objecti** triplex distinguitur ignorantia: a) *Juris*, quando ipsa lex universim sumpta ignoratur, vel nescitur num aliquis casus determinatus sub lege comprehendatur. — b) *Facti*, quando non ignoratur habitus rei, prout innotescit, ad legem, sed rei in se spectatae circumstantia vel etiam substantia moraliter sumpta. Exemplum prioris habes in eo qui fornicatur cum muliere quam ignorat esse matrimonio juntam; posterioris, in eo qui expludit scelopeto quod perperam existimat vacuum et sic hominem occidit. — c) *Poenae*, quando ignoratur criminis alicui certam poenam, praesertim extraordinariam, adnexam esse.

3º **Ratione actionis seu voluntatis**, distinguitur ignorantia:

a) *Antecedens*. Sic vocatur "quando non est voluntaria et tamen est causa volendi quod alias non vellet, sicut cum aliquis homo ignorat ali-

quam circumstantiam actus quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit quod non faceret si sciret; puta cum aliquis, diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua interficit transeuntem, et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter. „ (S. Th. 1. 2. q. 6 a. 8.) Bene P. Lehmkuhl (I. n. 17) antecedentem definit eam quae praecedit omnem voluntariam inquisitionis negligentiam.

b) *Consequens*. Sic vocatur quando sequitur actum voluntatis tamquam causam suam.

c) *Concomitans*. Haec habetur “ quando ignorantia est de eo quod agitur ; tamen, etiamsi sciretur, nihilominus ageretur... sicut... cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. „ (S. Th. I. c.)

Notandum est hanc trimembrem divisionem locum habere tantum per comparationem ad diversos actus voluntatis. Duo priora membra referuntur ad voluntatem ignorantiae; postremum ad voluntatem agendi.

18. PRINCPIA. I. Ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, a peccato excusat.

Ratio est quia tollit voluntarium. Cfr. prop. 68^{am} inter Baianas damnatam : “ Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est „ et 2^{am} inter 31 ab Alex. VIII damnatas : “ Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec, in statu naturae lapsae, operantem ex ipsa non excusat a peccato formalis. „ Valet autem hoc principium etiam quando ignorantia est concomitans, quamvis in eo casu peccetur interno affectu habituali vel etiam actuali. Nec minus applicandum est inadvertentiae et oblivioni quam ignorantiae proprie dictae.

Hinc pueri vel rudes non peccant dum inhonesta quaedam peragunt quorum malitiam nullatenus percipiunt; qui fornicatur cum muliere quam invincibiliter ignorat esse matrimonio junctam, non contrahit adulterii malitiam etc. Cfr. n. 151.

19. II. Ignorantia vincibilis non excusat a peccato; hoc autem tanto gravius est quanto magis est voluntaria ignorantia.

Ratio est quia semper talis ignorantia est aliquatenus voluntaria: unde et actus qui ex ea sequuntur moraliter voluntarii sunt. Attamen cum in ipsa causa plus minusve voluntarii haberit possit, prout haec ignorantia est simpliciter vincibilis, crassa vel affectata, plus minusve peccaminosus erit actus qui ex ea sequetur.

20. III. Mensura reatus peccati quod ex ignorantia indirecte voluntaria sequitur non desumenda est ex actione vel ex omissione quae ex ea derivatur, sed ex ipsa ignorantia vincibili.

Ratio est, quia effectus ille non est voluntarius nisi propter ipsam ignorantiam: unde nequit esse magis voluntarius seu culpabilis quam ipsa causa sua. Quare ut tale peccatum grave sit, requiritur gravitas tum obligationis, tum negligentiae in ea implenda.

Inde sequitur levem esse posse culpam negligentiae, quamvis agatur de re gravi et quamvis ex illa negligentia secuti sint effectus magni momenti, puta gravia peccata liberorum e levi negligentia parentum in officio invigilandi; immo etiamsi negotium ex iis sit in quibus aliquis teneatur de culpa levissima: nam, etiam in hoc ultimo casu, omitti potest aliquid quod comparative leve habendum sit. Ideo, non statim damnari potest tamquam sacrilega aut invalida confessio in qua, ob aliquam negligentiam, oblivioni datum fuerit mortale peccatum. (Vol. II. n. 303.) Hinc etiam levis esse potest negligentia parochi in inquirendis impedimentis alicujus matrimonii, in addiscendis casibus conscientiae, etc.

Juxta regulam supra (n. 14) datam de voluntario in causa, incurritur idem reatus, etiamsi per accidens nullus effectus sequatur, ex. gr. si confessarius, elicto proposito munus suum sine competenti scientia exercendi, nullam jam audiendi confessiones occasionem nanciscatur. Attamen saepe, multiplicatis effectibus, multiplicabuntur et peccata, quia crebrius occurret conscientia hujus ignorantiae culpabilis et homo iterum recusabit adhibere conatus necessarios ad eam depellendam.

IV. Ignorantia simpliciter vincibilis vel crassa, quamvis ad grave peccatum pertingere possit, minuit tamen voluntarium si confertur cum scientia plena vel ignorantia affectata. Nam actus qui fit ex ignorantia cognitione caret; supponit autem ea voluntas quae agere nollet si plenam mali scientiam haberet, neque ex industria quaerat ignorantiam quo liberius peccare queat.

Non constat vero inter DD. utrum **ignorantia affectata** scientiae comparata augeat an minuat voluntarium. Priori sententiae favere videtur S. Th. qui ex gr. in 1. 2. q. 76. a. 4. haec habet : “ Talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum. Ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi. „ Attamen S. Doctoris mentem explicant Suarez, Lugo aliisque hae distinctione. Respiciendum esse aiunt ad motivum ob quod aliquis ita ex industria ignorantiam quaerat. Si motivum illud hujusmodi est ut denotet minus malam voluntatem quam in illo qui scienter legem transgreditur, ignorantia affectata dicenda est minuere voluntarium. Exemplum esset illius qui nollet inquirere quid sibi ab Ecclesia credendum proponatur ne deberet doctrinam sibi caram relinquere. Si vero motivum illud denotat pejorem voluntatem quam in illo qui cum plena scientia legem transgrediatur, ignorantia affectata

auget voluntarium. Exemplo sunt hodie multi qui ideo recusant discere quaenam ab Ecclesia doceantur vel praecipientur, quia ipsius auctoritatem omnino spernunt.

§ 2. DE CONCUPISCENTIA.

21. DEFINITIO. Concupiscentia hic intelligitur " motus appetitiae virtutis sensibilis qui est ex imaginatione boni vel mali. " (S. Th. 3. dist. 26. q. 1. a. 1)

Motus hujusmodi non in sola anima se continent, sed et corpus afficiunt. Referuntur autem ad duo capita, scil. ad prosecutionem boni et ad fugam mali: unde includunt desiderium, amorem, delectationem, odium etc. Si talis motus remissus manet, vix in re morali attenditur; si vero fit intensus, habetur ea quae concupiscentia dicitur et etiam passionis nomen accipit. Nullatenus ergo hic intelligitur concupiscentia eo sensu quo saepe eadem vox in S. Scriptura occurrit, et designat fomitem illum quo in delectabilia illicita ferimur. Cfr. Rom. VII, 8, 23. Nam in sensu nostro potest aequa ferri ad honesta et ad in honesta.

22. DIVISIO. Ratione habitudinis ad voluntatem, concupiscentia distinguitur:

a) *Antecedens*, quae scilicet, ordine causalitatis, omnem voluntatis consensum praevenit ideoque non est voluntaria, ex. gr. si quis easu inimicum obvium habet et ita in odium excitatur.

b) *Consequens*, quae scilicet, ordine causalitatis, voluntatis actum sequitur ideoque voluntaria est.

Cum autem voluntaria esse possit vel in causa tantum vel etiam in se, ideo distingui quoque solet duplex species concupiscentiae consequentis. Prior habetur e mera resultantia, cum motus voluntatis, ex. gr. odii affectus, in partem inferiorem redundant; posterior directe excitatur, ex. gr. si quis ideo injurias acceptas mente revolvit ut in se vindictae sumendae appetitum augeat.

23. PRINCPIA. I. Concupiscentia antecedens minuit voluntarium ac proinde peccatum; immo, si totaliter usum rationis aufert, omnino a peccato excusat.

Ratio est, quod concupiscentia seu passio judicium rationis minuit, causae autem quae minuunt judicium rationis, minuunt voluntarium et peccatum. Optime S. Th. De Malo q. 3. a. 11, ad 3: " Dicendum quod de ratione peccati est quod sit voluntarium. Voluntarium autem dicitur eius principium est in ipso agente. Et ideo quanto principium interius

magis augetur, tanto etiam peccatum fit gravius; quanto autem principium exterius magis augetur, tanto peccatum fit levius. Passio autem est principium extrinsecum voluntati; motus autem voluntatis est principium intrinsecum. Et ideo quanto motus voluntatis fuerit fortior ad peccandum, tanto peccatum est majus: sed quanto passio fuerit fortior impellens ad peccandum, tanto fit minus. "

Posse quandoque per passionem totaliter auferri usum rationis, puta propter vehementiam amoris vel irae, e sensu intimo patet: qui nonnumquam post factum testatur aliquid a nobis in aestu passionis ita fuisse peractum ut in potestate nostra non fuerit aliter agere. Idem auctoritate DD. praesertim S. Thomae (1. 2. q. 77. a. 7) comprobatur. Vid. in iis adjunctis deest fundamentum libertatis: intellectus enim passione obcaecatus rem apprehendit ut penitus bonam vel ut penitus malam, neque in potestate voluntatis est efficere ut objectum passionis a phantasia et intellectu removeatur aliisque objecto locum cedat: quare voluntas necessario amat vel odit. (Lessius, op. cit. q. 10. a. 3; De Baets, op. cit. p. 244) Sed ne impingamus in errores maxime vulgatos quibus imputabilitas pene exinanitur, attendendum est: 1º Hunc casum, quamvis crebro occurrat, valde rarum esse si comparetur cum iis casibus in quibus homo passionibus resistere queat. — 2º Plerumque mala in tali aestu passionis patrata esse indirecte voluntaria, quia homo exorienti passioni resistere potuit satisque praevidit quo ab ea duceretur, nisi tempestive intrinseca vel extrinseca illius incitamenta removeret. Id potissimum applicandum est iis qui, jam abrepti in aliquod scelus, nihilominus in passione fovenda perstiterunt.

II. Concupiscentia consequens e mera resultantia non minuit peccatum, sed signum est magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. (1. 2. q. 77. a. 6)

Ratio prioris partis est quod peccatum in actu voluntatis consistit; hic autem, ex hypothesi, jam perfectus est quando motus iste sensitivus exsurgit. Ratio posterioris: quod motus vehemens in appetitu sensitivo indicat intensam voluntatem ad malum.

III. Concupiscentia directe excitata auget peccatum.

Ratio est, quod ipsa prorsus voluntaria est; supponitur autem inordinata et ad malum inclinans. Ob rationem similem majus est meritum in eo qui potens est adversus tentationes e causa voluntaria. (2. 2. q. 155. a. 4. ad 2)

N. B. Ex iis quae de influxu concupiscentiae in voluntarium dicta sunt, facile perspicitur quid tenendum sit de influxu propensionum naturalium quae, sive ex hominis complexione, sive ex haereditaria labe

cuiquam insint. Haec, cum voluntaria non sint, minuunt peccatum: inclinant enim voluntatem in partem malam et judicium obnubilant, dum occultant malum quod in opere latet, et efficiunt ut res delectabilius appareat quam reapse sit. Hinc etiam judicari poterit de influxu habituum qui e repetitis actibus malis, puta blasphemis, mollitie, etc. hominem ad similes actus pravos inclinant. Hi habitus physice minuunt libertatem aequae ac naturales inclinationes, moraliter vero libertatem integrum relinquunt, quia, cum orientur ex actibus liberis, eorum inclinatio tota est libera et voluntaria. Attamen si hominem contracti habitus pravi paenitet, ea propensio jam non est censenda voluntaria, praesertim si conatus fecerit ad eam tollendam, ac proinde de ejus influxu in voluntarium dicendum erit eodem modo ac supra de habitu naturali dictum est. (Lessius, op. cit. q. 6. n. 44)

§ 3. DE VI.

24. DEFINITIO. Vis est motio cuius principium est extra, in contrarium renitente eo qui patitur.

Hinc patet *duo* ad eam constituendam requiri: *prius, ut principium movens ad actum sit extra agentem; posterius, ut ille qui ita ad agendum compellitur vel ab agendo impeditur, non solum nihil conferat externae motioni, sed ei resistat et totis viribus contra renitatur.* Si enim tantummodo nihil confert, ut veluti indifferens se habeat, nondum intelligitur plena coactio homini illata. (Ball. P. n. 115)

Actus a voluntate elicitus nequit esse coactus. Nam quod est coactum seu violentum, est ab exteriori principio, dum actus voluntatis nihil est aliud quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente. Sed coactio in reliquarum facultatum actus cadere potest, nec tantum externarum, ut si quis, apprehensa manu, testamento subscribere cogatur, sed etiam internarum, ut si daemon homini etiam reluctanti phantasmatu in imaginatione cieat. Attamen, quando agitur de actibus potentiarum internarum, hi non sunt coacti relate ad facultatem eos elicientem, sed moraliter tantum seu relate ad voluntatem. (Ball. P. n. 118)

25. DIVISIO. Distingui solet vis *absoluta* et vis *secundum quid*. Prior sola proprie hoc nomen meretur et continet ambo elementa datae definitionis. Posterior dupli ratione intelligitur. Alii vim secundum quid vocant coactionem quae patientis resistantia frangi vel saltem debilitari potest. Alii (ut S. Alph. de Act. Hum. n. 16) hoc nomine appellant coactionem quae nullatenus infringi potest, sed cui voluntas patientis non omnino repugnat.

CAPUT III. DE IIS QUAE VOLUNTARIUM TOLLUNT VEL MINUUNT. 33

26. PRINCIPIA. I. Vis *absoluta* prorsus tollit voluntarium et peccatum.

Ratio est manifesta cum voluntarium sit a principio intrinseco, violentum vero ab extrinseco. (1. 2. q. 6. a. 4)

II. Vis *secundum quid* non tollit omnino voluntarium, sed illud tanto magis minuit quanto vehementior est vis illata vel quanto minus voluntas vi illatae acquiescit.

Haec regula complectitur utrumque sensum quo supra diximus intellegi posse vim secundum quid.

Si in priore sensu accipitur, clarum est eum qui potest resistendo vim repellere, nec resistit, velle, saltem indirecte, pati violentiam. Sic voluntarium erit mulieri stuprum si invasorem pudicitiae, cum posset repellere, non repellat. Attamen quo major vis infertur, eo minus voluntaria passio censemur. Juvat hic advertere non semper esse obligationem ut vis illata, quacumque tandem ratione fieri posset, repellatur. Sic custos non tenebitur ad rem parvi valoris furi eripiendam, si id sine innocentis vitae jactura facere non posset. Videndum est ergo in singulis casibus num aliquis teneatur ad vim hac ratione depellendam. Cfr. n. 13. Hinc deduci potest haec regula: quidquid in nobis experimur, voluntate repugnante quantum potest et debet, nobis non imputatur.

Quodsi in altero sensu sumitur coactio secundum quid, planum est adesse consensum, saltem in passionem. Si autem illud cui ita acquiescit voluntas malum est, contrahitur malitia tanto major quanto plenius adhaeretur. Exemplum habes in muliere quae, licet vi ineluctabili opprimatur, interne consentit in pravam delectationem.

§ 4. DE METU.

27. DEFINITIO. Metus est mentis trepidatio, instantis vel futuri periculi causa. Sicut vis aliis potentius infertur, ita metus soli voluntati incutitur. Hic autem considerandus est quatenus inclinat ad aliquid faciendum vel omittendum quod, per se spectatum, voluntati displicet, sed ad vitandum majus malum eligitur, ex. gr. ad mortem vitandam, crux praecidere. Unice ergo agitur de actionibus quae fiunt ex metu, ut pecuniam dare latroni, non autem de iis quas metus tantum comitatur, ut si latro furetur timens ne a satellitibus apprehendatur.

28. DIVISIO.

1º Distinguitur metus *absolute gravis, levis, relative gravis.*

Metus absolute gravis est quando grave est in se periculum mali et gravis trepidatio mentis. Ut autem *periculum in se grave* exsistat, requiritur :

a) Ut malum quod timetur sit magni momenti, ex. gr. mors, amissio magnae haereditatis.

b) Ut sit solida probabilitas hujus mali incurriendi. Hinc non est grave periculum, si is qui minatur mortem vel verbera cognoscitur esse vaniloquus.

c) Ut non habeatur facile medium ad malum depellendum, ex. gr. monendo aliquem qui certe periculum avertet. Quando hae tres conditiones adsunt, metus dicitur *cadere in virum constantem*.

Metus fit levis quando deest una vel plures e conditionibus supradictis. Sed propter conditions personae, ex. gr. sexum, aetatem, timidam indolem, vividam phantasiam, idem fieri potest relative gravis. Hie, in re morali, aequiparatur metui absolute gravi, quia omnino similem dispositionem internam seu mentis trepidationem inducit, ideoque pariter in voluntarium influit. Exemplum habes in timore ingenti quem litis intentandae comminatio rudibus injicere solet.

2º Distinguitur metus ab *intrinseco* et metus ab *extrinseco incussus*.

Prior ille est qui oritur e causa intrinseca ipsi homini timenti, ex. gr. e morbo jam contracto; posterior, ille qui oritur e causa exteriore, ex. gr. e tempestate, e praedone. Quamvis illa causa extrinseca possit esse naturalis vel libera, hic fere unice attendendum ad liberam : nam in re morali fere aequiparantur metus a causa intrinseca et metus a causa extrinseca naturali incussus.

Praesertim attendenda subdivisio metus qui a causa libera incutitur in metum *juste et injuste incussum*. Erit autem *injuste incussum* si persona metum inferens vel non habet jus inferendi malum ullum, ex. gr. latro mortem minitans, vel non habet jus inferendi tale malum, ex. gr. judex legitimus, poenam lege non statutam intentans.

Juvat etiam attendere ad duplarem rationem qua timor injuste incussum in actionem vel omissionem influere potest. Interdum enim est tantummodo ratio ob quam aliquis sponte velit aliquid quod secus nollet, ex. gr. si quis cum alterius filia in clauso cubiculo deprehensus, ut vindictam vitet, sponte se patri offert ad eam duendam. Interdum vero metus directe incutitur ad extorquendum assensum, ex. gr. si quis in eodem casu ad eamdem promissionem minis patris adigitur.

Speciali consideratione dignus est metus qui dicitur *reverentialis* et in eo consistit quod quis timet minas vel offenditionem parentum aliorumve quibus subjacet. Merito notat Ball. P. (n. 127) hunc metum facile evadere gravem, etiamsi quis nec verbera, nec similes saevitias timeat.

29. PRINCIPIA. I. Quod fit ex metu per se est simpliciter seu absolute voluntarium.

Ratio est quod metus per se nec cognitionem aufert, nec voluntatem, ut patet in iis qui, metu suppliciorum, a fide christiana defecerunt, quos semper Ecclesia tamquam apostatas abhorruit. Sed per accidens fieri potest ut metus penitus auferat usum rationis, vel saltem eam valde perturbet. In priore casu, actio e tali metu posita nullatenus est voluntaria; in posteriore, plus minusve a perfecta voluntarii ratione deficit.

II. Quod fit ex metu regulariter est etiam **involuntarium secundum quid.**

Ratio est quia regulariter in eo qui ex metu agit habetur inclinatio voluntatis ad hanc actionem non ponendam: haec enim non solet poni nisi ad gravius malum vitandum, ex. gr. si viator, ut vitam servet, crumenam latroni porrigit. Ideo opera mala ex metu posita censentur magis venia digna quam si sponte ponantur. Ita Nicaena et Ancyranæ Synodus decreverunt ut facilior venia tribueretur iis fidelibus qui ob metum suppliciorum defecerant quam iis qui sponte idolis sacrificavabant.

Dicitur *regulariter*, quia non necessario includitur ille affectus ad rem quae omittitur. Ita, teste Conc. Trident. (Sess. XIV. cap. 4), dolor conceptus e metu gehennae excludere potest affectum ad peccatum. Qua ratione hoc explicandum sit, vides apud Dogmaticos.

§ I. DE ESSENTIA MORALITATIS.

30. Moralitas est habitudo actuum humanorum ad normam honestatis. Nempe ut actus moralis sit, duo requiruntur et sufficiunt : 1º Ut libere fiat : nam esse morale in actu est id cuius ratione agens est laude vel vituperio dignus, quod manifeste nequit fieri sine libertate, — 2º Ut habeat aliquam relationem ad normam honestatis : secus enim nihil in ratione actus foret quo ad mores pertineret, ut contingit in actibus etiam libere positis a pueris qui, licet bonum delectabile satis cognoscant, de honesto prosequendo et turpi fugiendo judicare nondum possint.